

induciis pactis, ab armis discederetur, quo de confienda pace mox pertractari posset. Verum adeo fævierant animi, ut, prorsus abjectis, ac desperatis concordiaë consiliis, acerrime decertando provincias, populosque contererent: cum eodem tempore in Belgio, in Italiæ Subalpinis, in Hetruria, atque in Corsica pugnaretur; Cæsar Taruanam, Morinorum munitissimum oppidum, Gallis erectum, diripi, incendi, atque everti, Hedinum quoque captum solo æquari jussisset; Rex Corsicam occupasset; Senas cum multis illius ditionis oppidis obtinuissest. Dragutes vero post Corsicam fere omnem a Gallis subactam, præda onustus, ingenti captivorum numero abducto, in Sardiniam devectus, inde septembri mense intra Hellesponti fauces, uti a Suleimano jussus fuerat, se recepit.

1553

*Dragutes
Byzantium
regreditur.*

Dum gravioribus hisce successibus res christiana jactatur, pacisque fructus uni fere ex Europæ Principibus Veneti percipiunt, non deerant, qui multis, iisdemque gravibus incommodis maritimarum ditionum Reipublicæ incolas afficerent, atque suspicionum semina inter Suleimanum, ac Venetos, quibus pax interturbaretur, jacerent. Prior Capuae, Petri Strozzi frater, cum Gallica stipendia deseruisset, a Rhodiorum militem magistro tribus triremibus præfectus, mare Aegæum, ac Cilicum infesta prædis, ac rapinis reddebat; neque enim Turcarum manubiis, cum quibus perpetuæ inimicitiae exercentur, contentus, Cypriis, Cretensibus, atque aliis qui Venetorum insulas incolunt, multa eo anno damna intulerat. Quæ cum in prospectu Venetarum ditionum adversus Suleimani subjectos committerentur; haud parum præpotentis Regis animus in Rempublicam accendebat, compluresque e nostris fovere homines hujusmodi conquerebatur. His de rebus sæpius cum Rhodiorum Magistro expostulans Senatus, frena illorum cupiditati injici non posse animadvertisens, classis præfecto mandavit, ut Capuanum Priorem ubicumque invenisset, pro hoste haberet, obvium, obtemperare detrectantem, armis adoriretur, illius triremes armamentis exueret. Jussum præterea, ut proventus, quos permultos Hierosolymitani equites in Reipublicæ ditionibus obtinent, ad illata damna sarcienda, penes sequestros reponerentur. Justiniano Justinianio, Hierosolymitanæ religionis legato, quæ decreta sint significantur, qui

*Capuanus
Prior Hiero-
solymita-
nus orientis
maria infe-
sta reddit.*

haud

*Senatus
mandata de
Capuano
Priore per-
sequendo.*

*Hierosoly-
mitanorum
equitum bo-
na apud se-
questros, Se-
natus jussi
reposita.*